

1305

D O G M A T I C I.

1306

latae Conceptionis SS. Dei Genitricis Mariae Devotissimus Tractatus. Autor, qui *Ord. Min.* fuisse videtur, nomen suum non adjecit, laborem vero suum *Leopoldo I. Imp.* obtulit, ut patet *fol. 29.* ubi postquam *Ferdinandi III.* in Virginem adfectum celebrasset, subdit: *Ejusdem piissimi animi ac coronarum heres modo extat Vestra Cæsarea Majestas, Romanorum Cæsar semper Augustus, Turcarum debellator et Triumphator gloriosus.* Conclusionem porro (methodo enim scholastica procedit) quam probandam sumit, ejus verbis adscribo: *Beatissima Virgo Maria in nullo penitus instanti habuit siue contraxit peccatum originale, sed in Conceptione sua semper fuit ab omni labe divinitus præservata.* Atque in hunc finem *Figuris Antiqui Testamenti, Dictis Patrum et Doctorum, Oraculis Summorum Pontificum,* quos inter recentissimus *Alexander VII. Decretis Conciliorum, Sensu Universitatum, Principum, Civitatum, Miraculisque* utitur, in quo non semper limpidis fontibus usum adultior nostra aetate Crisis facile videt. Sub finem *Adversariorum* objectis respondet. Quae omnia uberiora habes apud *Coelest. Sfondratum,* et *Thom. Strozium.*

II. *fol. 53.* sequitur *Ejusdem: Compendiosus Luciferi aliorumque ejus Sequacium primi peccati Discursus,* in quo eadem methodo adserta Angelorum existentia de quorundam *Lapsu, Lapsusque natura* differitur. Ad calcem Autor

se suaque Sanctae Matri Ecclesiae humiliter submittit.

CCCXXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. 488 XV. Folior. 285. 4. currente calamo exaratus, rubricisque distinctus praemisso *Elencho* continet, quae sequuntur: I. *Tractatum de Angelis,* cujus Quæstio princeps: *Vtrum propter varia huius vie temptamenta indigeant viatores beatorum angelorum custodia.* Ut *fol. 13. p. 2.* minio notatur: *Ad hanc questionem respondit frater Mathias fabri de augusta ordinis fratrum beate marie de monte carmeli in conuentu augusten. Anno domini. 1467. in capitulo provinciali in festo sancti Jacobi apostoli. Et in eodem promotus est in lectorem sacre pagine.* Totius itaque *Tractationis,* quae multas deinceps etiam de reprobis Angelis Quæstiones continet, Autor habendus est hic *Mathias Fabri.*

II. *fol. 61.* praemisso *Elencho* sequitur *Ejusdem Tractatus de Votis,* cujus prima Quæstio: *Vtrum omne votum voventem executive obliget ad implendum id quod vouerat.* Ad hanc etiam, uti et subjunctas Quæstiones respondisse dicitur *fol. 64.* Idem *Anno. 1468. in alma vniuersitate Wien. lector ac magister artium. in crastino sancti ludowici conf. regis francie.*

III. *fol. 118.* *Ejusdem tractatus de Clavibus Ecclesiae,* cujus prima Quæstio: *Vtrum soli sacerdotes*

1307

C O D I C E S

1308

cerdotes noue legis in foro penitentiae habeant clauis regni caelestis. Ad hanc denique respondit: Anno domini. 1469. in alma uniuersitate Wien. In vigilia natiuitatis beate marie virginis Et eodem anno promotus est in baccalarium sacre pagine.

IV. fol. 185. Excerpta ex Henrici Flad Carmelitae Norimb. L. IV. Sententiar. de proprio Sacerdote, et de Charactere Sacramentali.

V. fol. 192. Sententie doctorum Theologorum et Juristarum de comportationibus recipiendorum in monasterijs absque symonia. Citantur breuiter Thomas Aq. Albertus M. Petr. de Tarentasia, Hostiensis, Raymundus &c. declarantes, qua conditione liceat religiosis Familiis aliquid ab ingressuris Tironibus acceptare.

VI. fol. 193. Magistri Nicolai de Dinckelspüchl Quaestio: Vtrum homo teneatur dare elemosinam de temporalibus suis ad subueniendum defectibus aliorum. Quaestionem hanc, qua subiecta materia egregie pertractatur, non inuenio in Catalogo Scriptorum Nicolai nostri a Fabricio, Oudino et in Scriptorib. Univ. Vien. P. I. p. 92. textorum. Responsum incipit: Pro quo notandum quod duplicia sunt bona temporalia &c.

VII. fol. 202. p. 2. Incipiunt Quaestiones variae Theologicae, argumenti potissimum moralis, excerptae e Job. de Ragusio, Nic. de Dünkelspüchl, Job. de Dittmaning, Thoma Aq. Henr. de Haf-

sia, Henr. Flad de Nurenb. et Kiliano O. M. Ex. caussa: Vtrum Mater domini uouerit uirginitatem. Vtrum usus vestium preciosarum sit malus et peccatum. Vtrum Viri ecclesiastici peccent utendo vestibus preciosis. &c. Notiores horum Scriptorum praetereo. Johannes de Ragusio O. P. dictus Stoicus nomine gentilitio inter alia, quae in Scriptt. O. P. T. I. p. 798. referuntur, in Synodo Basil. Orationem habuit contra I. Art. Bobemorum de Communionem sub utraque, quae in Edit. Concilior. legitur, atque inde excerptit Noster. M. Job. Grössel de Dittmaning ditionis Salisb. Commentarium in Ecclesiasten, ut patet e nostra Quaestionum Sylloge, reliquit. Rectoris Acad. officio inter ann. 1436 — 65. quater functus et Canonicus Vien. obiit 1472. Henricus Flad Norimberg. Ord. Carm. et Kilianus Ord. Min. Lecturas in Libros IV. Sentent. scripsere, quibus itidem Noster usus est. Horum Virorum nec in Bibliothecis suorum Ordinum Lucii et Waddingi, nec in Scriptt. Universit. Vien. extat memoria, nisi, quod in Praef. P. I. Scriptt. p. 9. Fr. Henricum de Nurenberga ad an. 1414. nominari video.

VIII. fol. 255. Sermo ad clericum de Assumptione beatissime uirginis Marie. In illud Eccl^{ei}. 24. Quasi palma exaltata sum in caedes. Historiam ejus habes in miniata Clausula: Explicit sermo ad clericum — factus in conuentu Wiennensi

Wiennensi ordinis fratrum Carmelitarum (deinceps Domo Professorum S. J. nunc Tribunali Senatus bellici) coram vniuersitate per fratrem Mathiam fabri de augusta sacre Theologie lectorem. Anno. 1468. Adhaeret Locus laudis Ordinis Carmelitani depromptus e *Sermone M. Henr. de Hassia de Assumpcione virginis gloriose*, quem indicavimus alibi et in quo sacra religio ista indubitanter ex discipulis prophetarum inchoata pace Dan. Papebrochii dicta fit.

IX. fol. 261. Collatio in exequiis olim sacre pagine professoris perspicacissimi magistri Nicolai de dinckelspüchl facta per egregium sacre fronesis (Φροντισεως) doctorem magistrum petrum de pirchenwart. Anno 1434. *Wienne*. Initium: *Moritur doctus pariter et indoctus, scribit Ecclesiastes 2. Cap. Reverendi Patres, Domini &c. Dum limpidius oculis mentis mee intueor et miranda dei opera animaduersione digna contemplor, plus bodie liberet flere et carmen lugubre depromere, quam aliquid coram vestris paternitatibus verbotenus explicare, presertim quia exequiarum officium olim venerabilis magistri nostri et doctoris perspicacissimi, magistri videlicet nicolai de dinckelspüchl in presentiarum votive peragimus, qui morum honestate, scientia, virtutum norma, doctrina et vita preclarissima, quasi secundus fundator nostre vniuersitatis resplenduit fidelissimus. Hunc ergo domini voluntate nunc vita sua functum cernimus, quem*

*quondam ut refugium nostrum et remedium singularissimum habuimus. Praeteritis dein communibus de Morte locis, propria quae sunt Viri, adscribam. Ipse enim fuit, qui decursis singulis etatibus hominis ad senectutem peruenit non quamcunque sed bonam, ita ut de ipso vere dicam illud Gen. 25. Mortuus est in senectute bona. — A principio vsus rationis sue resplenduit in ipso senectus ista vita morali, conuersacione exemplari, pietate et conuictu frugali vsque in presens tempus. In tota namque sua vita cunctis acceptus et placabilis fuit, nulli displicens, sed omnibus summe placens, nunquam notatus dolo aut fraude, nec de auaritia aut beneficiorum cupiditate, nec de dissensionibus et scissuris, sed in omnibus inventus est homo pacis quia verus israelita, in quo dolus non fuit. Et postquam commemorasset, quantum Cives et Academia illum reveriti fuerint, de laboribus ejus scholasticis addit: *refulsit inter ceteros ut sol inter planetas, primum in plenitudine scientiarum sui ingenij — secundo in castissimo et piissimo amore singulae nouit alijs caritativissime communicando. — Sed licet sic premissa grandia ac salubria sint et fuerint, tamen maiora borum fecit, presertim in constantiensi concilio, in causa fidei scribendo et saluberrime conferendo, tractatus contra errores husitarum componendo, ubi etiam in causis principalibus ecclesiam tangentibus sepe vnus de deputatis fuit. — Demum**

quid

quid iste spectabilissimus vir pro pace et quiete et bono statu ecclesie patauien. effectuosissime fecerit, melius vestre norunt dominaciones &c. Haec de Nicolao aetate sua certe insigni Theologo Orator noster, cujus gestorum Compendium exhibetur P. I. Scriptt. Univ. Vien. p. 101. Memorantur ibi Ms. Sermones ejus Exequiales. Annum mortis 1436. subplet Job. Jos. Locheri Speculum Acad. Vien. edit. ibid. 1773. 8. Sed, dum in utroque hoc Opere Nicolai annus emortalis dicitur 1433. rescribendus est e Cod. nostro annus 1434. nisi dicas Exequias ejus in alterum annum dilatas fuisse. Atque diutius differri posse, paucis abhinc annis vidimus.

X. fol. 267. Principium primum in secundam quinquagenam psalmodiarum. factum per fratrem Mathiam fabri de Augusta baccalarium Theologie. ordinis fratrum Carmelitarum. in solenni uniuersitate Wiennensi Anno 1469. circa festum omnium sanctorum. Publicis igitur Lectionibus suis proludit hic Noster: *In Nomine summe atque semper benedictissime trinitatis — Ex permissione ac licentia inclite facultatis Theologicae &c.* Tres pro more Scholae Partes habet Prolusio. Primo est diuini auxilij inuocacio. Secunda Theologica ac diuinalis scientie in sacri canonis libris tradite et praecipue Psalmodiarum recommendatio. Tertia gratiarum habicio pariter et actio Auditoribus. Atque id in fine nominatim praestatur

Mathiae Abbati Scotorum, Stephano Praeposito Can. Reg. S. Dorotheae, Alexio de Drosendorf Officiali Passau. Virgilio Schrottauer Anwaldo Caes. Andreae Schenprucker Confuli, Martino Enthamer Judici Civit. Johanni Carpentarii et Leonardo Praxatoris Ord. Carm. Budensi et Viennensi Prioribus, Johanni de Pfortzen Facult. Artium Decano. En quales Viri ἀγοαρηγοιου Theologorum Mathiae cohonestarint.

XI. fol. 278. Principium secundum in canonicas petri factum per fratrem Mathiam fabri de Augusta baccalarium Theologie ordinis fratrum carmelitarum. In uniuersitate Wiennensi. Anno 1470. Prolusio haec incipit: *In nomine sanctissime trinitatis &c.* et duas tantum Partes habet. Prior est Collacio totius sacre scripture recommendatoria generaliter et propositarum canonicarum ac sui autoris specialiter. Altera gratiarum actio. Sed haec abest a Codice. Hic itaque Sex Opuscula complectitur Autoris inter Coevos non indocti, sed mihi quidem nullibi reperti, et in erudita Fabrorum Phalange tam a Mathia Fabro Jesuita, quam a Fabro Augusto dicto Johanne O. P. probe distinguendi.

CCCXXXVII.

Codex membraneus germ. Sec. 523 XVI. Folior. 23. 4. nitide exaratus continet Poema rhythmicum, cujus Liber I. de Novem Choris Angelorum, II. de Angelis